

Datum Bononiæ sub annulo Piscatoris die IX. julii millesimo quingentesimo trigesimo tertio Pontificatus nostri anno IX.

*Alienatio Dacitorum Aquensium.*

401

MDLII.

In nomine Domini amen. Anno Nativitatis ejusdem MDLII., indictione X., die vero Jovis in nonis, quæ est prima mensis decembris in civitate Aquarum, ac in domo communis dictæ civitatis, videlicet in sala superiori, ubi solet haberi, & congregari consilium dictæ civitatis; præsentibus ad omnia, & singula infra scripta egregio D. Joanne Baptista Avellano Causidico, & Notario filio quondam D. Joannis, nobili Joanne Georgio filio quondam D. Georgii Avellani Castellano dicti loci ambobus civibus Aquarum, & nobili Nicolao filio D. Antonii Gaspardoni cive Casalensi testibus notis, & idoneis, & ad infra scripta omnia, & singula vocatis, adhibitis, & rogatis cum me Notario infra scripto. Ibi que congregato generali consilio dictæ civitatis Aquarum sono campanæ, & voce nuntii ut moris est de mandato, & impositione spectabilis D. Philippi de Terdonensibus ex nobilibus Carpeneti Prætoris dictæ civitatis, & pro negotiis dictæ Communitatis peragentis. Et in quo consilio interfuerunt præsentibus infra scriptis, videlicet prædictus D. Prætor, nobiles Gulielmus Piper, & Antonius Acetus iudici, nobiles Bernardinus, Cazulinus, & Michael Avellanus consules, nobiles Joannes Antonius Joferrus, Ambrosius Maria Pecorellus, Constantinus Carmaglierius, Constantinus Zabreria, Ambrosius Galutius, Probus Blexius, Joannes Bartolomeus Sabina, Julius de Porta, Joannes Georgius Merlinus, Joannes Petrus Avellanus, Bartolomeus Arancamilus, Petrus Bicutus, Nicolaus Ligerius, Gulielmus Robellinus quondam Joannis Petri, Joannes Jacobus Ligerius, Gulielmus Robellinus quondam Gasparini, Joannes Antonius de Ecclesia, Antonius Seghinus, Joannes Bartolomeus de Ecclesia, Constantinus Benzo, Petrus Scatus, Petrus de Ecclesia, & Galeatius Bavosius omnes tam de consilio veteri dictæ civitatis Aquarum, quam moderno, & qui sunt ultra duas partes ex tribus consiliariorum dictæ civitatis repræsentantes totam universitatem civitatis prædictæ discurrentes, & attendentes magnitudinem onerum, quibus affecta fuit, & est dicta civitas Aquarum, quibus redditus publici non possunt sufficere, nec per impositiones collectarum provideri, propterea quod sunt cives multum exhausti ob plura gravamina, & infinita dispendia, quæ ei evenerunt, deliberaverunt, & post deliberationem unanimes, & concordēs decreverunt esse deveniendum ad alienationem dimidiæ partis gabellæ, seu daciti appellati *La Cozza* dictæ civitatis, quia cedit in evidentem utilitatem dictæ Communitatis, ex qua pro solo pretio medietatis dicti daciti *della Cozza* poterunt recitari alia infra scripta, ex quibus dicta Communitas percipiet emolumenta majora. Propterea dictam venditionem facere deliberaverunt cum pacto tamen recatandi quandocumque dictæ universitati placuerit pro eodemmet pre-

tio infra scripto, & sub pactis, & modis infra scriptis. Et propterea dicti consilii nomine dictæ Universitatis dederunt, vendiderunt, & tradiderunt, ac dant, vendunt, & tradunt, seu quasi multum magnifico D. Galeotto filio illustri D. Joannis Vincentii de Carreto ex Marchionibus Saonæ civi Casalensi, & Aquensi ibidem præsentem, ementi, & acquirenti pro se, hæredibus, & successoribus suis quibuscumque, & de pecuniis dotalibus magnificæ Domine Annæ ejus uxoris filiæ quondam magnifici Domini Sigismundi de Cocconato ex condominis Ticinetti habitis a magnifica Domina Costantia de Cocconato ejus socru, & matre dictæ Domine Annæ prout dictus Dominus Galeotus dixit, & protestatus est coram me Notario, & testibus supra scriptis, videlicet dimidiam dictæ gabellæ, seu daciti, & vestigialis civitatis Aquarum appellati *La Cozza*, ac omnes redditus, & quæcumque emolumenta, & jura dictæ gabellæ, seu daciti, & vestigialis pro dimidia ut supra, & quæ gabella fuit, & est jus capiendi de qualibet salma cujuscumque speciei grani, quod conducitur super mercatum dictæ civitatis, vel in ipsa civitate ad vendendum mensuram consuetam unius cozzæ, & seu ratam dictæ mensuræ, si quantitas dicti grani fuerit minor salma, exceptis personis locorum exemptorum, a quibus non est consuetum dictum dacitum exigi, & cum omnibus juribus, usibus, & dignitatibus suis ad habendum, seu quasi tenendum, goldendum, utendum, & fruendum, & quidquid Domino emtori, hæredibus, & successoribus suis perpetuo placuerit facere, donec retractatum fuerit ut supra, cum omni jure, & actione, usu, seu requisitione dictæ Communitati spectante, & pertinente, ac cum plena, & integra immunitate, & exemptione ab omnibus, & singulis taleis collectis, contributionibus, hospitalitibus militum, taxis, compositionibus, præstitis angariis, & perangariis, & quibuscumque oneribus realibus, & personalibus, ac mixtis ordinariis, extraordinariis, solitis insolitis, & insolitissimis, cogitationis extra cogitationem, & verisimilitudinem etiam ex causa belli, vel pestis, vel penuriæ, & etiam ex causa cujuscumque expeditionis militaris, vel exercitus Cæsarei, vel Regii, vel alterius cujuscumque Principis, vel causa protectionis, vel defensionis personarum, vel honorum, & loci civitatis Aquarum, & illius territorii, vel ex alia quavis causa publicæ utilitatis, vel necessitatis expresse promittentes dicti consilii defendere, & manutenere exemptionem prædictam, quia, quidquid esset taxandum de jure, vel de facto taxaretur ipsi Domino emtori, & seu hæredibus, & successoribus illius, vel fidei commissariis, ipsi Domini consilii promittunt nomine dictæ universitatis, & etiam proprio nomine exsolvere, & omnino indemnem præservare dictum Dominum emtorem, & hæredes, successores, & fidei commissarios illius sub expressa obligatione honorum dictæ universitatis, & ipsorum consiliariorum præsentium, & futurorum. Et dictam venditionem medietatis dictæ gabellæ faciunt dicti consilii pro pretio, & pretii nomine scutorum sexcentum Italicæ ibidem realiter, & actualiter exbur-latorum per dictum Dominum Galeotum consiliariis